

SABBATO

De Martyrologio
Tertiodecimo Kalendas Júnii.

Luna sexta

Dies Pentecostes, quando Spiritus sanctus Hierosolymis super discipulos igneis linguis advénit. **A**quilæ, in Vestinis, sancti Bernardini Senensis, Sacerdotis ex Ordine Minorum et Confessoris, qui verbo et exemplo Italiam illustravit. **R**omæ sanctæ Plautillæ, feminae Consularis, quæ beatorum Martyrum Flávii Clementis Consulis soror et Flaviæ Domitillæ Virginis mater exstitit; atque, a sancto Petro Apostolo baptizata, omnium virtutum laude refulgens, quævit in pace. **I**tem Romæ, via Salaria, natalis sanctæ Basilæ Virginis, quæ, cum esset ex regio genere, et illustrissimum sponsum haberet illumque dimisisset, accusata fuit ab eo quod esset Christiana, et mox decretum est a Galliëno Augusto ut aut sponsum reciperet, aut gladio interiret; cumque ipsa Virgo, convента de hoc, respondisset se Regem regum habere sponsum, gladio transverberata est. **N**emæsi, in Gallis, sancti Baudélii Martyris, qui comprehensus est a Paganis, et, cum sacrificare nolle idolis et in Christi fide inter verbera et tormenta immobilis persisteret, martyrii palmam pretiosa morte suscepit. **E**dessa, apud Ægas, in Cilicia, sanctorum Martyrum Thalelæi, Astëri, Alexandri et Sociorum, qui sub Numeriano Imperatore passi sunt. **I**n Thebaide sancti Aquilæ Martyris, qui pectinibus pro Christo dilaniatus fuit. **A**pud Bituricas, in Aquitania, sancti Austregisili, Episcopi et Confessoris. **B**rixie sancti Anastasii Episcopi. **P**apie sancti Theodori Episcopi.

¶ Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

Ex Regulae Sancti Patri Nostri Benedicti
Caput Quartum:
Quæ Sunt Instrumenta Bonorum
Operum

Inprimis, Dominum Deum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute. Deinde proximum tamquam seipsum.

Deinde non occidere. Non adulterari. Non facere furtum. Non concupiscere. Non falsum testimonium dicere. Non honorare omnes homines. Et quod sibi quis fieri non vult, alio ne faciat. Abnegare semetipsum sibi, ut sequatur Christum. Corpus castigare. Delicias non amplecti. Jejunium amare. Pauperes recreare. Nudum vestire. Infirum visitare. Mortuum sepelire. In tribulatione subvenire. Dolentem consolari. Saeculi actibus se facere alienum. Nihil amoris Christi praeponere.

¶ Tu autem Domine, miserere nobis.
R. Deo gratias.

DOMINICA

De Martyrologio
Duodecimo Kalendas Júnii.

Luna septima

Sancti Valentis Episcopi, qui, una cum tribus pueris, necatus est. **A**lexandria commemoratio sanctorum Martyrum Secundi Presbyteri, et aliorum; quos sacris diebus Pentecostes, sub Constantio Imperatore, Arianus Episcopus Georgius savissime occidi præcepit. **I**n Mauritania Caesarensi natalis sanctorum Martyrum Diaconorum Timothei, Poli et Eutychiei, qui, in eadem regione disseminantes verbum Dei, pariter coronati meruerunt. **C**æsareæ, in Cappadocia, item natalis sanctorum Martyrum Polyucti, Victorii et Donati. **C**órdubæ, in Hispania, sancti Secundini Martyris. **E**odem die sanctorum Martyrum Synesii et Theopompi. **C**æsareæ Philippi natalis sanctorum Martyrum Nicostrati et Antiochi Tribunorum, cum aliis militibus. **A**lexandria commemoratio sanctorum Episcoporum et Presbyterorum; qui, ab Arianis exilio relegati, sanctis Confessoribus sociari meruerunt. **N**icia, apud Varum fluvium, sancti Hospitii Confessoris, abstinentie virtute ac prophetie spiritu insignis.

¶ Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

Ex Regulae Sancti Patri Nostri Benedicti
Caput Quartum:
Quæ Sunt Instrumenta Bonorum

Iram non perficere. Iracundiae tempus non reservare. Dolum in corde non tenere. Pacem falsam non dare. Caritatem non derelinquere. Non jurare, ne forte perjuret. Veritatem ex corde et ore proferre. Malum pro malo non reddere. Injuriam non facere, sed et factas patienter sufferre. Inimicos diligere. Maledicentes se non remaledicere, sed magis benedicere. Persecutionem pro justitia sustinere. Non esse superbum. Non violentum. Non multum edacem. Non somnolentum. Non pigrum. Non murmuriosum. Non detractorem. Spem suam Deo committere. Bonum aliquid in se cum viderit, Deo applicet, non sibi. Malum vero semper a se factum sciat et sibi reputet.

¶ Tu autem Domine, miserere nobis.
R. Deo gratias.

FERIA SECUNDA

De Martyrologio
Undecimo Kalendas Júnii.

Luna octava

Romæ sanctorum Martyrum Faustini, Timothei et Venusti. **I**n Africa sanctorum Martyrum Casti et Emili, qui per passionis ignem martyrium consummarunt. Hos (ut beatus Cyprianus scribit), in prima congressione devictos, Dominus victores in secundo prælio reddidit, ut fortiores ignibus fierent qui ignibus ante cessissent. **C**omanae, in Ponto, sancti Basilisci Martyris, qui, sub Maximiano Imperatore et Agrippa Præsidente, ferreas calceatus crepidas, ignitis clavis confixas, multa quæ alia passus, demum, capite obtruncatus et in flumen projectus, martyrii gloriam consecutus est. **I**n Corsica sanctæ Iuliæ Virginis, quæ crucis supplicio coronata est. **I**n Hispania sanctæ Quitæniæ, Virginis et Martyris. Ravennæ sancti Marciani, Episcopi et Confessoris. **P**istorii, in Tuscia, beati Atthonis Episcopi, ex Ordine Vallis Umbrôsæ. **I**n pago Antisiodorënsi beati Romani Abbatis, qui sancto Benedicto ministravit in specu; inde, in Gallias

profectus, ibi, ædificato monasterio relictisque multis sanctitatis alumnis, quævit in Domino. **A**pud Aquinum sancti Fulci Confessoris. **A**ntisiodori sanctæ Hælenæ Virginis. **C**assia, in Umbria, sanctæ Ritæ Viduæ, Monialis ex Ordine Eremitarum sancti Augustini; quæ, post sæculi nuptias, æternum sponsum Christum unice dilexit.

¶ Et alibi aliorum plurimorum sanctorum Martyrum et Confessorum, atque sanctarum Virginum. **R.** Deo gratias.

Ex Regulae Sancti Patri Nostri Benedicti
Caput Quartum:
Quæ Sunt Instrumenta Bonorum
Operum

Diem iudicii timere. Gehennam expavescere. Vitam æternam omni concupiscentia spiritali desiderare. Mortem cotidie ante oculos suspectam habere. Actus vite sue omni hora custodire. In omni loco Deum se respicere pro certo scire. Cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, et seniori spiritali patefacere. Os suum a malo vel pravo eloquio custodire. Multum loqui non amare. Verba vana aut risui apta non loqui. Risum multum aut excusum non amare. Lectiones sanctas libenter audire. Orationi frequenter incumbere. Mala sua praeferita cum lacrimis vel gemitu cotidie in oratione Deo confiteri. De ipsis malis de cetero emendare. Desideria carnis non efficere. Voluntatem propriam odire. Præceptis abbatis in omnibus obedire, etiamsi ipse aliter (quod absit) agat, memores illud dominicum præceptum: *Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite*. Non velle dici sanctum antequam sit; sed prius esse, quod verius dicatur.

¶ Tu autem Domine, miserere nobis.
R. Deo gratias.